

3.
I C O N
HASSIACÆ FAMÆ,

Elogiis adumbrata,
& inter Silesiæ plausus,
in adventu

SERENISSIMI ac EMINENTISSIMI
PRINCIPIS,
DOMINI, DOMINI

FRIDERICI,
Sac. Rom. Eccles. CARDINALIS

Landtgravii Hassiæ,
EPISCOPI WRATISLAVIENSIS,
Equestris Ordinis S. Joannis Hierosolymi-
tani in Germania Supremi Magistri: Principis
Hirschfeldii, Comitis Metenmelenboci, Diecii,
Ziegenheimii, Niddæ, Schaumburgi,
Ifenburgi & Budingæ &c.

CÆSAREO-REGII

per Ducatum utriusq; Silesiæ

CAPITANEI:

à

JOANNE BRUNETTI,

Canonico Wratislaviensi, & Insignis Ecclesiæ Collegiatæ
& à Secularis Massæ Carrariæ Abbate,

submississimi Obsequii studio
exposita.

Anno Christiano M. DC. LXVI.

WRATISLAVIÆ,

In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia
exprimebat GODOFREDUS GRÜNDER.

737152



SERENISSIME,

&

EMINENTISSIME

PRINCIPIS.



Conem HASSIACÆ FAMÆ
produco in lucem SERENI-
TATI TUÆ, multa subitu-
ram judicia de audacia mea.
Non me latent: nec latebo,
ut audiam; ipse mihi consci-
us penicilli rudis ingenuâ confessione præ-
venio, prodóq; manûs meæ culpam. Nihil
tamen terreor in periculo, quod feci meæ in
SERENITATEM TUAM devotionis,
quando humanitate animatus Tuâ, qualem-
qualem huic imagini spiritum dedi, non alio
usus colore, quàm vero. Reddet Tibi illa
Majores, & equidem Tuos, seu mutua decora
sint, quæ ostendas, seu mutuata, quæ recipi-
as. TE IPSUM hîc cernes, & Illos. Alii mira-
buntur, suspicientes in Orbis facie vix pul-
chriora, sive gloriam PRINCIPIS, sive di-
gnitatem CARDINALIS, sive EPISCOPI
meritum, sive prudentiam LEGATI, sive
gravi-

gravitatem PROTECTORIS, sive famam
 Nominis adverti. Hunc splendorem MA-
 JORUM TUORUM Nobilitas, Sapientia,
 Fortitudo, Dexteritas, Gloria præcesserunt,
 non superârunt, ceu aliquid semper relin-
 quat Virtus vel ornandum à Posteris, quod
 præcesserit, vel docendum, quod sequatur.
 Horum omnium magnitudo effecit, ut
 prompti magis, quàm validi, non vitem no-
 tam. Quamquam & hoc laudi conatûs da-
 bitur, cum venerari agnoscar, quod assequi
 non credar. Sanè accedet huic imagini
 pretium, si in atrio Tuæ benignitatis collo-
 catam conspexero: unde fiet, ut gratia Tua
 faciat notam, quam ingenium non fecit
 Nobilem.

SERENISSIMÆ EMINENTIÆ TVÆ

Devotissimus Servus

JOANNES BRUNETTI.

ICON

ICON HASSIACÆ FAMÆ.

ELOGIUM PRIMUM.

SYNOPSIS ELOGII.

*Heròes Hassiæ quâ Bello, quâ Pace clari; auspiciatum Nominis in
 Sophia principium, & principatum sequuti; Fronte sapientiam,
 Vultu Nobilitatem, Manu dexteritatem, Pectore fortitudinem,
 Pedibus cursum in gloria consignant.*



Nimum non credit,
 qui huic credit colori,
 HASSIÆ FAMAM adumbranti.

Quamquam adumbrata non est,
 quæ non fingitur.

Iconem morari juvat, & mirari.
 Stupor acclamata pulchritudinis
 non tardum provocat amorem
 in subsidium laudis.

Caput mirâ arte ornatum;
 fas est credere Cincinnatum,
 qui tam bene comptas nutriit virtutes.
 Fronte ingenuâ vaticinia aucupamur ingenii.
 Mentiri non potest laborem ingenii,
 quæ defudat gloriæ.

Negare non licet,
 providos huic imagini Oculos,
 Vibrant documenta iudicii Oculi eruditi;
 indè magisterium lucis accepit perspicacitas.

Subjicit Majestatem Vultus
 idcirco Regius, & egregius.
 Meritò auram ostendit,

A

quæ

quæ ad ejus venustatem conspiravit.

Plenâ hæc *Manu*

HASSIAM tollit in astra;

ita *Cœlum* digito tangere visa,

cùm *Manus* levavit ad *Beata*;

ambi-dextera credi potuit,

quæ nihil tractavit sinistre.

Decuit *organum fortitudinis tale Pectus*,

in quo resonarent facinora.

Indefessæ quæ belli, quæ pacis artes

in eo suam fixerunt sedem.

Non parcum *Iconis* prodigium,

Pedes alati.

Sibi *Mercurius* quereretur ademptos,

nisi sciret,

pennas alienas non quærere,

quæ suis volat *Fama*,

Magnarum Nuntia rerum.

Avolârunt à natura ejusmodi pennæ

cùm ponderosos fecerunt *Pedes*;

nisi quòd his semper incelsit animus

calcare æthera;

ut hîc viam virtutis invenerit,

qui sequi duxerit vestigia

tam viva in hac imagine.

Omniùm lineamenta *Membrorum*,

quàm si *Protogenes* dedisset *Spiritum*.

Dici posset:

Ad has voces suum pretium loqui.

Verba tamen dare nescit,

ut vera videatur effigies.

a. Liv. b. Cic.

COMMENTARIUM

rerum abstrusiorum in *Elogio* primo occurrentium.

Nimium non credit. Sumptum ex illo *Virgilio*: *Fortunate puer, nimium nè crede colori.*

Quamquam

Quamquam adumbrata, Desumptum ex *Seneca*. Quod, inquit, Magni Duces faciunt rebus afflicto, ut hilaritatem de industria simulent, adversas res adumbratâ letitiâ abscondunt. hoc est: simulatâ.

Caput mirâ arte. Intellige *Sophiam*, Caput *Familie*. Alluditur ad virtutem *Cincinnati*; uti apud *Liv.* lib. 3. c. 19.

Mentiri non potest. *Cicero*nis est hoc: *Frons, Oculi, vultus per sepe mentiuntur,*

Vibrant documenta *Judicii Oculi eruditi*. Oculos eruditos proverbialiter dixit *Cicero*, pro illis, qui summo *judicio* in rebus discernendis utuntur.

Meritò auram ostendit. Auram pro splendore & decore, passim apud *autores*.

Uthîc viam virtutis invenerit. Respicitur ad viam *Aquilæ*, quam desiderabat videre *Salomon*.

Verbatamen dare nescit. Verba dare perinde est ac decipere.



Generis LANDTGRAVIORUM HASSIÆ

vetustissimi,

hodierni à *Sophia* deducti,

ELOGIUM SECUNDUM.

Origo hodiernæ *Hassie* *Familie* à *SOPHIA*; nunquam interruptâ serie à tot seculis ad hanc diem celeberrima processit.

Credit sæculum verum generis decus,
si vel fingat primordia, vel ignoret,

His moribus sui admiratio immoratur.:
adulatio immoritur.

Utraq; miserè incauta;
quippe incertâ origine involvunt Natales,
qui explicant obscuram.

Timet minoris pendi,
qui suos pandit Majores.

Sed in fumum incidit,
qui hunc stipitem ardet.

Mirum non est,
sic denigrari veritatem;

A 2

plorare

plorari vanitatem.
Hæc fugit antiquitas HASSIÆ.
 Consequutata tamen vel ex eo maximè fidem,
 quòd paucis licuerit assequi præeuntem.
 Non deficit hîc Nomen illustre,
 ut illicò Deum fingat.
 Quamvis divina credi possit origo,
 quæ à *Sapientia* est.
 Lustrò illius sæcula, non illustro.
 Facem sterilis facundiæ repudiat,
 quæ individuo sibi nexu
 fœcundam copulavit claritatem.
 Magnum proinde ex illa natum exemplum
SERENISSIMÆ POSTERITATIS.
 Suam hæc oblivisci non potuit originem;
 nempe Maximam Majorum Memoriam
 habet in *Capite*
 nec ignorare Nobilitatem,
 Regiam prolem edocta à Corona Principum.
 A longa tempestate plantatam,
 nec unquam evulsam
 Arborem transtulit **SOPHIA,**
 inter felices numerandam,
 unde tot fructus collecti.
 Indè floruisse dices!
 Non degeneravit ab illa
 Surculus *Posteritatis*
 ex insita virtute.
 Communes iccirco fructus;
 nisi quòd hæc etiam tulit singulares.
 Fortunatam natam hoc Principe **HASSIAM**
 à Romano Consule mutuatam vocem
 non muto præconio
 suo restituit Ornamento.
 Stetit in toto temporum sive motu inconcussa,
 sive metu imperterrita,
 hujus

hujus moles Familix.
 Cadere non poterat *Domus Sapientia,*
 ceu suo quadrato lapidi insideret.
 Suum fatum obeuntibus sæculis,
 numquam intermortuum.
 Hinc conjice vel vetus, vel æternum.
 Hac antiquitate nihil antiquius.
 Antiquari non metuit,
 quæ novam semper gloriam metit.
 Scilicet, quam exarat Nobilitas;
 exin cæteris felicius viret.
 Non est arida laus,
 cui alii porrigunt herbam...

a. Sen. b. Plin. c. Pier. Val. d. adag.



COMMENTARIUM rerum abstrusorum.

Si vel fingat primordia. Imitor Senecam lib. 3. de Beneficiis inquiringem: *Qui Majores suos
 recensent, ubi defecit Nomen illustre, illico Deum fingunt.*
 Sed in fumum. Rem vanam & levem.
 Qui hunc stipitem ardet. Hoc est: Qui sic suam numerat profapiam. Stipes pro Arbore
 familix. Ardere, pro amare.
 Sic veritatem denigrari. Fumi proprietar est denigrare, & cum occupat oculos, lacrymas
 ciet.
 Quamvis divina. Pro admiranda.
 Inter felices. Plinius dicit felices Arbores, quæ fructus ferunt...
 Ceu suo quadrato. Veteres solebant Sapientiam quadrato lapide insidentem depingere, ut hoc
 hieroglyphico firmam & inconcussam significarent.
 Cui alii porrigunt herbam. Proverbium ex Symmacho, quo quis se victum profesbatur...
 Nam qui in prato cursu, aut viribus contendebant, cum superati essent, ex eo Solo, in quo certa-
 men fuerat, decerpam herbam adversario tradebant. Juret in Nos. ad Symmach.



**HENRICI RASPO LANDTGRAVII
 HASSIÆ, IMPERATORIS,
 ELOGIUM TERTIUM.**

Henricus

*Henricus Raspo Landgravius Hassia contra Casarem Fridericum
II. Ecclesia pacem turbantem, Innocentii Papa IV. auxilio in Regem Ro-
manorum electus 1245.*

Per duos calles dormienti Herculi objectos
itum in somnia:
per septem colles
vigilanti HENRICO adjectos
itum in summa.

Experrecta nimirum virtus somnum nesciebat,
hoc solum profundè immersa,
quòd in lecto jaceret animo.
Quæ scenam ex merito desiderabat,
non debuit alibi,
quàm in Orbis theatro spectari, cum gloriæ apparatu,
Dejecto à Germania Friderico,
HENRICUS surgit in apicem.

In sublime sublatus,
se coelo vicinas virtutes
possidere, testabatur.
Ita Aquila ad alium Jovem convolarat,
qui suum in caput non torqueret fulmina,
etiam Lauros terere, ac terrere potentia.

Altis assueta
summum verticem petierat,
alas illi submittens
qui per oras, & ora volitare debuerat.

Tres illi à felicitate natæ sunt Filia:
PRUDENTIA, JUSTITIA, PROBITAS;
Gratias videlicet nactus erat
gratus Patriæ Pater.

Non poterat imperium non credi innocuum,
quòd ab Innocentii Oraculo fluxerat.

Non erravit Ecclesia
in recta fide HENRICI,
cui germana suffragaretur.

Illustris

Illustris in ea turbarum nocte,
Pontifici præluxit,
qui in sua fluctuabat Navi.
Micavit in tenebris,
ut profligaret tenebrionem;
tum Magnum se præbuit Lumen,
cùm totum Orbem illuminavit.

a. Henning. p. 135.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Per duos calles. Notum de Hercule somnium.
Etiam lauros. Laurus à fulminibus immunis, hic sumitur pro Regibus & Casaribus, qui etiam
Excommunicationi Pontificiæ subjacent.
Illustris in ea turbarum nocte. Ad turrim Pharum alluditur, unde nocte navigantibus lu-
men suppetebat ad securitatem.



HENRICI SECUNDI LANDTGRAVII
HASSIÆ, FERREI nuncupati,

ELOGIUM QUARTUM.

HENRICUS II. FERREUS & MAGNANIMUS dicitur,
Collegiatis Ecclesiis Cassellis & Rodemburgi laudabiliter fundavit, cujus
pietas eximiam sibi, & terris famam, & Cælo gloriam comparavit.

Mirror, Sæculum,
FERREUM dixisse HENRICUM,
quem AUREUM fecerat Sapientia.
At FERREI nomine
Magnatem insigniri decuerat,
quem virtutum ingentium Magnes attraxerat.
Jam infracti animi intelligis,

qui

qui FERREUS erat.
Non alium dedisses ferreo sæculo:
Nempe, ut lapidei ejus mores frangerentur hoc ferreo.
Probitatis præsertim tenax adhæsit pietati.

Duravit in hac solidus.
Miror iterum FERREUM;
cùm totus colliqueſcebat in pietatem.

Cassellis & Rodemburgi
liberalem manum excitârat
in lucubrando templorum opere...
Videri noluit indormire pietati,
quam custodiendam susceperat;
Meliori Gigantum sorte
turrim molitus,
unde Cœli proximus haberetur,
à magnitudine Personæ Gigas:
Titan à splendore virtutum.

Credo, Deo Aras erexisse,
ut se victimam Divini probaret Amoris,
cui virtutes non defuere pro floribus ad Coronam,
quas velut è cornu Amaltheæ depromptas
inhians Magnis viris temporum felicitas
sibi hausit ad lætitiâ, decantavit ad memoriâ...
Non uno contentus nomine

contendit ad alterum,
ratus duplicem nodum
arctiùs famam vincire,
fortiùs vincere,

MAGNANIMUS etiam audit & audet,
non otiosè nomen SECUNDI fortitus,
quem bina decora secundabant;
prosperâ proinde famâ,
tum maximè nitebat,
cùm nitebatur ad summa...
Orârunt hanc Memoriâ omnium ora.

In hoc descivit à FERREO

HEN-

HENRICUS;
quòd oblivionis non contraxit rubiginem.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Titan à Splendore. Titanes quondam pro terræ filiis; Sed & Titan pro Sole; uti hîc.
Quas verò è cornu Amaltheæ. Hoc miræ naturæ fuit. Quicquid experiisses, seu cibum,
seu potum, seu flores, seu quid aliud; mox evadebas voti compos. Alluditur eò, quòd olim lau-
des è cornu decantari consueverint.



LUDOVICI PACIFICI dicti,
Landtgravij Hassiæ Imperium recusantis,

ELOGIUM QUINTUM.

LUDOVICUS PACIFICUS & MITIS oblatam Imperii di-
gnitatem admirando magis, quàm imitando exemplo recusavit.

LUDOVICUS

Quàm probè ludit vices Probi
ad pacem gestiens;
immo pacem gestans,
qui PACIFICI nomen ut ferret,
maluit in manu caduceum,
quàm sceptrum caducum.

Ratus
firmius religionis imperium esse,
quàm regionis,
recusavit Imperium...
quòd illud recusaret PACIFICUM.
Adeò sui animi serenitatem
turbis subtraxerat,

B

nè

nè turbidine implicaretur,
 qui solvebatur in quietem.
AMASIUS PACIS,
 iccirco pulcherrimæ virginis procus
 rixatus cum fortuna, auferre insidiata amorem,
 contendit ad repulsam.
 Non scandit gradum.
 Ne deiceretur de gradu,
 vidit tecta pericula,
 in quæ nudum animum induceret;
 ut vel indè cæcâ non laborârit ambitione.
 Diceres, edoctum **LUDOVICUM,**
 in alto fastigio plus serviri,
 quàm servari.
 Domitiani jocus sinè venia
 Muscas venantis in imperio;
 quippe cùm ludit, lædit;
 Seriam laudem sectatus **LUDOVICUS,**
 dum non capit dominium,
 Muscas, hoc est, molestias
 dedignatus in Imperio,
 quæ modestiam circumvolarent suam,
 maluit carere folio;
 ut solis instar vacaret maculis,
 sui solatium splendoris.
 Imperâsse tamen judicârim.,
 qui totum Orbem
 raro subjecit exemplo.

a. Vopisc. b. adag. c. Suet.



COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Nè deiceretur de gradu. Dejici de gradu proverbialiter dicitur, cùm quis animi magnitudi-
 nem & constantiam amittit.



HER-

**HERMANNI Landtgravii Hassiæ Archi-
 Episcopi Coloniensis,
 ELOGIUM SEXTUM.**

HERMANNUS in Archi-Episcopum Coloniensem assumptas sua
 Sapientia Urbem convenire testatus, quæ tres incolit **MAGOS.**



**De electa Hassia gente
 HERMANNUS,**

non perdeserta,
 sed diserta Majorum vestigia,
 virtute duce, venit in terram,
 ubi votorum abundantiam collegit,
 cultas electus ad infulas.
 Coloniam accepit in præmium,
 qui emeritæ erat virtutis.
 Quod coleret campum gloriæ,
 fructum maturi decerpit honoris.
 Acerbus esse non poterat,
 quem fervor bonorum temporum maturârat.
 Pedum manibus **HERMANNI** impositum,
 ut huic innixa Colonia
 securiùs ambularet,
 foveam non habitura,
 quæ hanc stellam intentiùs observabat.
 Mira res! Stella apparuerat,
 quæ etiam dies illos illustraret.

Videbatur ad Urbem Magorum maximè pertinere,
 qui sapiens erat,
 Munera secum ferens,
 quibus Deo placeret, homines placaret.
 Inter septem Electores cooptatus
 tam optatus fuit in honore,
 quàm aptus in onere.

Diceres triplicem funiculum:

B 2

Nobili-

Nobilitatem, Virtutem, Famam.
Hinc earum commendatio interrumpi non potuit,
quia integræ erant.

a. Hygin. b. Stellain Stemmata Hassiæ. c. Magus, apud Persas, Sapiens d. Eccles.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Coloniam accepit. Allusio ab Urbe Colonia ad Colonias Romanorum, illis duntaxat dari solitas, qui emerita essent virtutis ac militia. Hygin. de Limit.
Foveam non habitura. Hic intelligitur casus Astrologi, qui nimiam curiositate stellas observans in subjectam foveam prolapsus fuit.



**LUDOVICI SECUNDI LANDT-
GRAVII HASSIÆ,**

ELOGIUM SEPTIMUM.

LUDOVICUS II. *Fraternitatem cum Electore Saxonia &
Marchionibus Brandenburgicis à Majoribus initam renovavit.*

Animos facit hinc sanguis,
ut fidem servem non silentio,
sed eloquio.

Magnam adiit hereditatem nominis
LUDOVICUS,
qui in multorum Principum fraternitatem
successit;

ut sibi Majorum
antiqua esse videretur,
cum Saxone & Brandenburgico
veterem renovavit.
Merito conjunctus iis,

quem

quem par sanguis unierat.

In Nomine Fratris

se ferè alterum portendit.

Neminem latebat, quam latè pateret
Ludovici amplitudo.

Tantos Principes ambivit in Fratres,
ut suam illis

amicitiam rotundam declararet.

b. Nec ideo duci potuit in gyrum,
quæ tantum nata fuerat campum.

Percussit fœdus,

ut in plaga Orbis

signa fortitudinis apparerent suæ.

Desinet posthac natura mirari,

etiam virum.

Conceptam famam ex consortio Nobilitatis, & Virtutis,
sibi tales fratres peperisse.

a. ex Sallust. b. adag.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Animos facit. Sumptum ex Sallustio de conjuratione Catilinæ.

In nomine Fratris. Frater dictus ferè alter Ego, Ipse.

Amicitiam rotundam. Hoc est: perfectam. Vel, ut alii: quod forma rotunda sit pulcherrima. Cicero de Univers.



**DIVÆ ELISABETHÆ, Ludovici Landt-
gravii Hassiæ Conjugis,**

ELOGIUM OCTAVUM.

DIVA ELISABETHA, *Andree Regis Hungariæ Filia. Lu-
dovico Landtgravio Hassiæ nubit, clara in conjugio charitatis &
pietatis operibus; post mortem Conjugis seculo renuntiat, Mulierum peni-
tentium*

tentium domum ingressa injurias constanti, in ediam leto animo, dum her-
bis vesceretur, ferebat; moriens conversâ in cœlum facie fuit.

Exultare licet in salutatione Elisabethæ,
cùm ejus virtutes exaltare decet.

Regiâ orta stirpe
in Dei obsequio radicem egerat.
Inter liba deliciarum mens illibata
dulcem sapiebat pietatem.

Jugo Mundi in conjugio non subjecit colla,
quæ jugiter in cœlum erigebat.

Noctu è strato solita ire ad preces,
viam sibi sternebat ad pretium;
scilicet, ut lucidior stella appareret,

nocte surgebat obscurâ,
ubi annonæ caritas immineret,
non annuâ, sed diurnâ charitate eminebat.

Ut frugi esset,
spargebat frugem in pauperes,
optimam hanc terram rata ad messem opimam.

Sive pane, sive panno foveret miseros,
tunc verè è Pannonia fuit:

nisi quòd hæc illam Mundo,
HASSIA Cœlo genuerit.

Amans humilitatis
pedes abjectos osculabatur:
ceu illos,

quibus Deus in sententiam ibat votorum,
quæ sibi Cœlum consulebant.

Emortuo Coniuge,
& ipsa moritur sæculo;
Cœlo victura liberius,

cùm se ab aureis catenis liberavit.

Itura per viam salutis lapides abjicit,
nè fortè offendat ad lapidem pedem suum.

Dicerem

Dicerem, innocentia inustam injuriam
ab igne pœnitentiæ, quo flagrabat.

Non vitiorum, sed vitæ pœnitebat,
tarditate peccantis in visione DEI.

Ludus illi ludibria:
nec amarè ferebat odium.

In hoc motu animorum
ab ejusmodi hastis patientiæ Clypeum
servavit intactum;

ut doceret, se dolore carere,
quæ sana esset.

Dapes regias aspernata
rusticis vescebatur herbis;
nempe mentem viridi spe Dei nutrebat.

Tandem cum Morte dimicans,
in Cœlum converterat faciem,
quæ terga verteret terræ.

a. Psalm. 90. b. vid. Cal.

COMMENTARIUM rerum abstrusorum.

In hoc motu animorum. Rhodiginus lib. 21. c. 14. ait: Cùm hastis olim peterentur clypei
iræ documentum fuisse, & doloris infigne.

Sana. Pro prudente.

WILHELMI II, Landtgravii Hassiæ, ELOGIUM NONVM.

Idem fecit WILHELMUS II. Hic contra Palatinum Rheni ab
Imperio proscriptum, ex mandato Cesaris bellicam expeditionem instituit.

Ducem lustramus illustrem,
quem ignis bellicæ laudis accendit.

Imò

Imò totus ipse igneus,
 cùm hostes redigeret in cinerem,
 è quo natus sit illi Phœnix gloriæ;
 cui pro Libano, sui culmen,
 virtutes pro aromatibus,
 pro ara Orbis area,
 splendor pro sole.
 Qui tam forti erat manu,
 feliciter arripere potuit palmam.
 Hoc progressu grassatus ad famam,
 viam Imperatoriæ gratiæ occupavit.
 Munere bellicæ expeditionis
 in Palatinum Rheno
 donatus à Cæsare,
 gratum se exhibuit.
 Et celer, & celebris expeditio,
 ubi expedit
 Wilhelmum præscribere,
 qui proscriptum ab Imperio
 restituere cogeret obsequium,
 quod MAJESTATI suffuratus esset.
 Ut corrueret moles contumaciæ,
 crexit virtutem miles gloriæ,
 vastam ejus audaciæ vastaturus libidinem,
 qui pulchram rapuerat fidem,
 frustra se Pergamis defendens
 ab hoc Achille,
 è quo, velut ex equo Trojano,
 Martii exibant animi ad incendium rebellis.
 Sedit CÆSARI,
 seditiosum ab eo opprimi,
 qui gravi fortitudine vel fortunam calcaret,
 cùm nihil illi deberet,
 qui se totum virtuti credidisset.
 Exinde illi altiùs palma assurrexit,
 cùm palmarem contumacis depressit fastum.

a. P. Hieron. ad Præsidi.

COMMEN-

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Equo natus sit ille Phœnix. Nota apud Eruditos de Phœnice seu historia, seu fabula: quo
 modo moriatur, ut renascatur.
 Vastam ejus audaciæ vastaturus libidinem. Alluditur ad raptum Helenæ; unde
 Trojæ incendium.
 Exinde illi altiùs &c. Proptium Palmæ: quo magis deprimatur, altior surgit.



PHILIPPI LANDTGRAVII HASSIÆ,
 ELOGIUM DECIMUM.

PHILIPPUS Marpurgensem Academiam fundavit. Inter alia
 celebra facinora Monasterium, Urbem Vestphaliæ, ab Anabaptistis occupa-
 tum, cum aliis Germaniæ Principibus expugnavit. Matheseos peritiâ
 instructissimus.

Virtutem nemini cessit Philippus,
 cùm illam nemini deberet;
 severâ sibi lege imperatâ:
 ex alieno non mereri.
 Summo proinde ingenio
 & ab armis forti, & à litteris cauto
 Orbis famam in potestatem redegit;
 factus ex utroq; CÆSAR,
 qui stylum tractabat & gladium,
 si regna viris
 non viri regnis decorarentur.
 Linceo viderat oculo longam sui famam,
 si litteras extenderet.
 Et parerat, tam eruditâ liberalitate instructum,
 Posteris gloriam docere.
 Conjice!
 quàm sublimia specularetur,
 qui in Mathesi eminebat.

C

Hac

Hac Astrorum disciplinā
disciplinam castrorum munierat,
ceu melius virtus unita
in facinora influeret,
quæ liquidò cadebat in consilium.
Fœdum Anabaptistarum fœdus
Mundum inquinabat.

b. MONASTERIUM habebat ad Conventum;
soli hic grassari cœperant,
ut solitudinem pietatis viderentur significare,
quî suam Monasterii regulam explicarent.
Ut dolere ob scelus videretur PHILIPPUS,
delere statuit sceleratos.
Aggeratâ Urbe militari peritiâ,
suum Orbi exaggeravit robur,
cùm illam in manibus suis coëgit perire.
Erravit hæresis in loco,
qui solitudinem portendit.,
ut verè illa pertineat ad bestias.
Maçte fortitudine Heros,
qui hostiam maçtâsti.
Dum hosti viscera detraheres
ab hujusmodi extis,
felix gloriæ traxisti augurium.
Victimam verè jugulâsti,
ubi feram hæresim diminuiſti capite;
scilicet, ut illius plusquam Punica punires mendacia.
E gutture sumpsisti supplicium,
nè ultrà in collum mentiretur suum.
d. Admirabitur Mathesis,
tam bene inscriptas
in pulvere campeſtri rectæ scientiæ lineas.
Duplex victoria,
Calami & gladii.
Hic famam exarat:
alter fortunam exorat.

Pul-

Pulchriorem Princeps non edit arenam,
quàm, si certamen adeat honoris
tam acies ferri, quàm mentis.

a. Suet. b. Urbs Vestphaliæ.



OTHONIS LANDTGRAVII HASSIÆ
Archi-Episcopi Magdeburgensis,
ELOGIUM XI.

OTHO *Archi-Episcopus Magdeburgensis virtute Primum
Germania adeptus, Othonum Saxonia vel accrevit memoria, vel suam
fecit,*



In numero habitus Otho,
cui copia fuit plurium decorum.,
His strenuè certans accepit in bravium
pallium Magdeburgense.
Quamvis palliatum dici non possit meritum,
in quo denudantur humeri,
non postremi in ordine oneris,
qui principale sacerdotium retulerunt.
a. Delegisse videri voluit Parthenopolis illum,
qui mores incorruptos diligeret.
Tunc sibi similem Urbs comparavit,
candidiore voce nova ad Albim Parthenope usa,
quæ hunc Ulysses pellexit.
Mira res! ipse Otho
æreo, hoc est, solido conflatus nomine,
aureus saxonibus visus;

C 2

nempe

nempe non aliâ alchymiâ,
quàm virtute mutatus in aurum.

Constans in pretio fuit:

ita non invisus,

qui in Saxonum mentibus, ad laborante famâ,
pulchram sui insculpsisset imaginem.

Quòd omnium iudicio primas teneret,
omnium gaudio Primas Germaniæ,
se omnibus numeris absolutum pronuntiavit.

cùm Otho esset perfectus ut octo;

immo votis damnatum,

quì publico famæ exemplo

castigatam laudem meruerat.

Hoc uno etiam reus nimix gloriæ,

quòd pœnam imparis ferat encomii.

a. Magdeburg. Parthenopolis. hoc est: Virginis Civitas.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

In numero habitus. In numero haberi, pro magni fieri.

Qui principale. *Aρχός.* Hoc est: Princeps. Archi-Episcopus, Episcopus principalis.

Tunc sibi similem. Sumptus lepor ex voce Magdeburg, quod est: Virginis Civitas, & sonat
idem, quod Parthenopolis.

Quæ hunc Ulyssem. Nota fabula de Parthenope; quæ cum Ulyssem in sua vota non posset
attrahere, se in Mare dedit præcipitem.

Immo votis damnatum. Bona allusio & connexio cum proximis. Votis damnatus quis di-
citur, cum ejus, cujus gratiâ votum fecerat, factus est compos.



**FRIDERICI LANDTGRAVII HASSIÆ,
ELOGIUM XII.**

FRIDE-

**FRIDERICI LANDTGRAVII HASSIÆ insignis Nobilitas
aut Germania Principes superavit, aut æquavit.**



Magnæ illius affinitates
in tractatione tanti sanguinis

manus erubescit,

sibi conscia ruboris,

dum maximam

laborat facere laudando magnam

Nobilitatem FRIDERICI,

tam altè collocatam,

quàm cœlo dignam declaravit Serenitas.

Generi HASSIÆ

semper species respondit sua.

Iustè amari potuit,

quæ jure laudari debuit,

tam emendata decòris facies.

Illi à vetustate venustas,

neque annositas suas ei impegit rugas.

Quis sanè pulcherrimam non curet,
quæ nullum à rugis contraxit morbum?

Pertinet ad proles fœcunditatem

æternæ juventutis privilegium.

Desiit proinde Teuto

Jovem mirari parturientem,

cùm HASSIA plures Pallades Orbi peperit,

quæ ex magnis capitibus natæ

ostenderunt,

illa cerebrum habuisse.

Occuparunt Mundum harum Natales.

Tantæ illis vires!

Et ad augusta Capita pertinuit,

Coronâ Principum redimiri.

Hoc pondere attolli FRIDERICUM;

hinc stupore premor.

Sed

Sed hæc est de Landtgraviis HASSIÆ
non levis prærogativa:
Nobilitate graves,
petere sublimem gloriam.



FRIDERICI Classis Melitensis
Navarchi,

ELOGIUM XIII.

FRIDERICUS Classis Melitensis Navarchus Turcam fugat,
egregiâ potitus victoriâ, & Posteris memorandâ.



FRIDERICO,

Virtutum constanti
sua etiam Crux ad victoriam fuit.
Fortitudinis similitudine è genere CONSTANTINI,
si tam Regnum habere licuisset,
quàm Regium animum.
Sagum implevit præfagium.
Admotus Classis clavo
animum fixit in virtutem.
Fides detrahi non potest,
ubi juratus hostis testimonio adest.
Sagaci facile fuit prædam investigare,
acuto configere:
infestâq; à Turcis Maria
infausta sæpe Christianis
ulcisci,
tam magni viri referat,

quàm

quàm magnarum virium.
In utrumq; accensus FRIDERICUS,
calorem tulerat ad pugnam.
Scilicet incensurus hostium cùm Archimede rates
ignem fovebat in pectore.
Verum Equitem professus
calcar admovit virtuti,
quæ frenum injiceret licentiæ.
Indicavit manus, quos animos teneret,
qui primas arripuerat in pugna,
quam fortuna obtulerat ad beneficium,
fortitudo consummârat ad fructum.
Fortem vocem audiebat miles,
quæ quia è pectore prorumpibat,
quis intimam illi neget fortitudinem?
Rebatur hostis in Melitensem Catulum incidisse,
cujus latratus securus exaudiret.
Molossum sensit excubantem
pro fructibus suarum arborum.
Raro exemplo etiâ Lunâ generosis latratibus deterruit,
frustra cornibus arietantem,
quòd in ferreo pectore hebetarentur.
Arte tandem, & Marte enixus victoriam;
sed masculam:
nè à tanto degeneraret viro.
Recens nata statim virilis;
& idèo matura acerbum prævertit malum,
cùm Lunam cogit retrocedere,
Cancris exhibilat dominium,
Barbara Classis.
Aspero vulnere strata,
viam FRIDERICO planam fecit ad gloriam.
Spoliavit eam audaciâ;
ut nudam virtutis puderet,
quâ gnâvâ vela navibus detraxisset.
Prudentia Victoris

semper

semper agnosceretur in salo.
 Nec licebit memoriæ arefcere,
 quam vel ipsum irrigat Mare.
 Germana FRIDERICI Nobilitas
 respuebat adscititiam.
 Romanam tamen admisit,
 cum victam Lunam pedibus affixit,
 nè tanto imperio aquis illis
 ultrà pergeret dominari.

a. Sen. b. Rhodigin. c. vide eundem.



COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Pro fructibus suarum arborum. Hoc est; Suarum Navium; pars pro toto.
 Raro exemplo. Lunam pro Turca, à Contrario sumptum. Nam Lunam canes dicuntur allat-
 re, quando inferiòr superiòrem aggreditur irritò conatu.
 Cùm Lunam. Lunam Cancrì Dominam dicit Rhodiginus.
 Romanam tamen. Olim apud Romanos solis Nobilibus licebat lunas in calceis habere.
 Nè tanto imperio. Luna aquis dominari dicitur, juxta Rhodiginum.



FRIDERICI CARDINALIS

ELOGIUM XIV.

FRIDERICUS ab INNOCENTIO X. in CARDINALEM
 assumptus, in Serenitate Purpuram melius splendere docuit.



Fama priùs per Orbem principalis,
 quàm Romæ dignitas
 FRIDERICUM
 dixerat CARDINALEM.

Priùs

Priùs in Album relatus à merito
 quàm ad purpuram vocatus à præmio.
 Cardinales virtutes quadratum virum fecerant;
 proinde bonum, & felicem
 è Vaticano divinavit summus Vates.
 Diceres parvum Mundum,
 qui his elementis constaret.
 Hunc reperit Columba:
 impar Columbo non fuit;
 nisi quòd iste in ferum,
 illa in feracem incidisset.
 Collocatus Romanis in collibus tantus Princeps,
 ut spectaretur
 per Urbem Urbium maximam,
 eminenti hoc capite majorem effectam;
 à sago transit ad togam.
 Nec ideo vel nuda sagi laus,
 ut indumento egeret:
 vel e mentita,
 ut pallium requireret,
 togam induit,
 ceu pro Senatu Romano
 Optimus Consul,
 qui Fasces sciret tractare.
 Solitus rara cum laude rebus præesse,
 togam accepit præsidariam.
 Altum in EMINENTIA surgebat arcanum;
 SERENITATI proximior,
 se tolli gestit in sublimia.
 Hinc sua Urbis, & Orbis sidera
 Coelo illustriùs inferat Roma.
 ANNULUS PISCATORIS consignat,
 quàm bona PURPURA,
 capta in hoc Mari virtutum.
 Meram hìc malaciam habet
 Navis Romana.

D

Videri

Videri voluit à Maris abiisse natura,
 qui placidus, constans, fidus
 amore, more, ore flueret.
 Quis hîc plena vela non permittat laudibus?
 Nempe veniunt in altitudinem;
 nec ideo timent tempestate demergi,
 quæ hanc tabulam habent ad manum.

a. vid. Cal. b. Homo Μικρόκομος. c. Innoc. X. cuius in Stemmata Columba.
 d. Spartian.

•••••

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Fama prius. Cardinalis pro Principali sumitur.
 Cardinales virtutes. Rhodiginus proverbialiter dicit quadratum virum pro bono & felici. Pul-
 chra ad hanc materiam ex ipso numero probat.
 Diceres parvum Mundum. Homo Μικρόκομος. hoc est; Parvus Mundus.
 Togam induit. Toga propriè Romanorum; sicut pallium Græcorum.
 Qui Fasces. Fasces pro munere, vel officio quopiam.
 Togam accepit. Togam præfidiariam dicit Spartianus in Severo, quâ Imperator, vel Præfides
 uti consueverunt.



FRIDERICI EPISCOPI VRATI-
 SLAVIENSIS,
 ELOGIUM XV.

*Ad Episcopatum Vratislaviensem electus FRIDERICUS in se ve-
 lut compendio collectis Antecessorum virtutes vidit, aut vicit.*



Orbitas illa SEBASTIANI
 vel ideo præmaturè venisse videri possit,

ut

ut Ecclesiæ Vratislaviensis
 citius fieret pupilla FRIDERICUS.
 Non ambivit infulas,
 nisi ut amplecteretur.
 Tiarâ tempora quæ sivit cingere,
 ut tempora coronaret;
 quasi non tam vittæ ab Infulis,
 quàm vita dependeat,
 si tali capiti dependantur.

Quod in specula publici spectaretur amoris,
 privatam se noluit hac cupidine Vratislavia;
 vel indè facti boni Episcopi omine,
 quòd munera longè attentior specularetur.
 Propterea INSULAM DIVI JOANNIS adeptus,
 ubi suorum spirituum revelaret arcana.

Insulam fortunatam jam licet dicere,

quæ tanti decoris

tum amœnitate felix,

cùm felicitate amœna.

Obtigit FRIDERICO aureus Episcopatus,
 ut suum agnosceret vel Solem, vel Sapientem
 quando utrumq; aurei referrent mores.

Dignitatem Nominis

aut retinuit antiquam, aut novam accepit,

cùm in suis Circulis inclusit gemmam,

sive Adamantem, lucem natalium,

sive Amethystum, fulgorem purpuræ,

sive Carbunculum, virtutum ignem,

sive Achatem, fidam pietatis faciem,

circulari expressit compendio.

Hinc æternam concordemq; hujus Unionis

non dubitemus fore memoriam,

quam Circulis suis univit Vratislavia;

ita velut aureo annulo

contractum ob signabit honorem.

P 2

Sudum

Sudum erit tuum Cœlum, Silesia,
sub hoc SERENISSIMO;
quippe frangendis nubibus malorum infudat.

Exinde clariores dies tui,
quibus LILIA olent suavius.

^a Nempe odor contrahi non potest frigore,
quem solis calor extendit.

Hic publicam felicitatem
inflamavit ad gaudium.

Ità lucere fecit gratulationem,
quòd aliorum Episcoporum virtutes
cerneret redivivas
in FRIDERICO.

Putavit, eas in sua revertisse corpora,
cùm vidit istum tantis decoribus animatum:

meritò cordatum expertura,

ut jam pavere non possit gratiarum charitatem,
quæ spem in illo pavit suam.

^c Ab Elysiis jam ortum jactârit Silesia,
nacta florum campum in FRIDERICO.

Plena, & plana ejus amœnitas.

Seriam rem videre est,

cùm rident hæc omnia.

^a Episcopus Speculator. ^b Episcopatum Vratisl. aureus dicitur. ^c LILIA Episco-
patu Vratisl. Insigne. ^d Plinius. ^e Cureau.



COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Quasi non jam vittæ. Vide Calepinum in dictione Infulæ.

Vel indè factò. Episcopus dicitur speculator.

Circulari expressit compendio. Hoc est: Perfecto commodo.

Nempe Odor. Frigus hic sumitur in eo significato, quod est nullius gratiæ, vel favoris. Frigus enim dicitur esse, cùm pro gratia sperata res in diversum exit. Cicero.



FRI.

FRIDERICI Protectoris Germaniæ
Arragoniæ & Sardinia,

ELOGIUM XVI.

Mortuo Cardinali Columnâ, Protectore Germaniæ CÆSAR
LEOPOLDUS FRIDERICUM PROTECTOREM renuntiat:
etiâmq; CAROLUS II. REX Hispaniæ Arragoniæ & Sardinia Pro-
tectorem designat.

Post casum Columnæ
ruit moles Germaniæ in manus FRIDERICI,
quem magnum nôrat Columen,
non suorum modò Circulorum, sed Orbis.
Ità stabilem in illis fidem se credidit reperturam
ad sui fulcimentum.

Inclinatæ in FRIDERICUM
duas iste supposuit Columnas,
quibus magnitudinem Patriæ regeret
FAMILIAM & FAMAM.

Æmulas Alcidis Columnas
NOBILITATEM & VIRTUTEM;
quas nulli antè superârunt exemplo,
quòd tantò hæctenus Nominî
paucis licuerit velificari.

Nè offenderetur Romanum Imperium,
Germanum Protectorem offendit,
ceu bene ad FRIDERICUM
ejusmodi appellatio devolveretur,
qui justo foret judicio,

unde res ex sententia successuras
priùs sperare liceat, quàm optare,
quando nulli relinquat desiderium,
qui suum numquam negat Consilium.

Etiâ Arragonia & Sardinia
Hunc sibi vendicavêre Protectorem.

non

FRIDERICI
non ignotâ sui famâ
vim arduarum rerum ulciscens,
si virtus laceffatur.
Hac parte armatus fecit,
ut partam putarent victoriam,
qui tantum Virum
in suas traxissent partes.
Adeò Germaniam sincerè,
Arragoniam graviter,
Sardiniam salubriter protexit semper.
Inficiari nequeas,
potentem esse gloriæ,
qui tot Regnis stipatur.



FRIDERICI ORATORIS IMPERIALIS
apud Aulam Pontificiam,
ELOGIVM XVII.

Legationem, quam dicunt extraordinariam, à Cesare ad Pontifices
refert FRIDERICUS, in qua & magnificentia claret, & sapi-
entia.

Timeo humilitatem sermonis
apud sublimem Oratorem.
Acuam tamen stylum ad stimulum,
quò sim festinus obsequio,
qui non sum festivus eloquio.

Magnam

Magnam Mentem esse oportuit,
quæ caperet Urbem
amplitude suâ Orbem comprehendentem,
ubi plures Mentium obices
quàm Montium vertices.
Totum Orbem in provincia Legationis suæ.
tractat FRIDERICUS,
cùm Romanum Imperium ferat in Manibus.
Crede mecum Atlantem,
vel à Montibus,
per quos Nomen accepit:
vel à Sideribus,
quorum molem ejus humeris imposuit Cæsar,

ratus
tutò illi Oratoris pondus credi,
qui sciret gravia ferre.
Ut aperirentur sapientiæ recondita,
Claves adhibita.

Præcipuorum sensuum Legatum
fecit LEOPOLDUS;
nempe Oculum & Aurem suorum Regnorum,
quòd providè prævideret,
quòd bene audiret;
quòd emunctæ foret naris,
sagaciùs odorantem deprehendit.

Ità Invictissimi implet vices,
qui invictis abundat virtutibus.
His certavit in Mari gloriæ,
Rostra retulit ad palmare decus,
pro quibus Orator
animos raperet utiliter,
in mentes reperet suaviter.
Proinde nil mirum,
si, cui os acutum,
omnem expunxit stuporem,
quòd Legatus

Omne

4 **Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.**

a. Alex. 7. *cujus Stemma Montes.* b. Clem. IX. *dictum fidem Olorum.* Clem. X. *sidera habet in Stemma.* c. Guicciardin. d. Horat.

☞ (Decorative separator line) ☞

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Nempe Oculum & Aurem. Guicciardin. lib. 35. histor. dicit Legatos Principum Oculos, & Aures Regnorum esse. Vide Rhodiginum verbo *Legatus.*

Quòd emunctæ foret naris. Emunctæ naris dicitur ille, qui acti est iudicio. Horat. 1. Serm. Saty. 4.

Sagaciùs odorantem. Hoc est: diligenter investigantem. Cicero: Tu sagaciùs odorabere.

Rostra retulit. Livius lib. 8. E rostris navium suggestum in foro extructum adornari placuit. Rostraq, id templum appellatum.

Omne tulit punctum. Punctum pro suffragio hic apud Horatium intelligitur. Ita etiam Cicero: questus es, te plures testes habere, quam quot in ea tribu: puncta tuleris. hoc est suffragia.



**FRIDERICI NOMEN PACEM
significantis,**

ELOGIUM XVIII.

FRIDERICI nomen divitias **PACIS** continens, comparatur cum aliis hujus Nominis. Sed illius major gloria; quia virtus melior.

● ● ●
**Pessimi fati olim Nomen,
nunc optimi facti Omen
in FRIDERICO.**

**Splendidiùs ab isto tractata religio,
quòd ad divitem veræ Pacis divertisset.
Hoc uno alii divites crediti,
quòd pacem dilapidarent.**

Illi

**Illi in Ecclesiam movebant, & Deum:
Hic semper pro Deo stetit, & Ecclesia.**

**Non potuit in contraria inclinare
rectus & erectus.**

**Sic stando figit præclara pietatis vestigia,
cùm non fingit cum Deo ambulare.**

Pietas tum maximè sana,

cùm pedibus laborat reverentiam,

Suos hic etiam habuit,

Innocentium & Alexandrum;

ab illo accepit fulgorem pro fulgure,

**alterius pedes non expertus graves,
nisi in pondere amoris.**

**Vitia in hoc nomine conculcabant Pontifices;
divitias calcant,**

qui Fridericum percurrunt.

Midam tandem impia defatigârunt vota;

Midam germanè sapere noluit,

cùm numquam fessus,

quidquid tractavit,

sub manibus suis sincerè mutavit in aurum.

Vel indè pretiosam æstima naturam,

quæ aurea est.

**Tantæ in illo repertæ divitiæ
meritò fecère thesaurum,**

**non uno jam nomine divitem
quem tot nomina repleverunt.**

a. Ciaccon.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Fridreich, seu Friderich, juxta Hoeping. in Tract. de Jure Insigni. significat divitem pacis. Ab Imperatore Friderico II. sumitur comparatio, cujus historia & mores in Ecclesiam noti sunt.

Cùm pedibus laborat. Pedes pro Pontifice, ex eo, quòd pedes Pontificis osculari consuetum sit.

Mida germanè. Allusio ad Midam Regem, qui quidquid tangebatur, in aurum vertebatur. Mide germanicè fessus.

E

FRIDE-

FRIDERICI Symbolum:
PRO DEO, & ECCLESIA.

ELOGIUM XIX.

Magna in DEUM pietas FRIDERICI, singularis in ECCLESIAM amor; utrumq; Symbolo ostendit: PRO DEO & ECCLESIA.

Ex morum puritate
Lydium sui lapidem habet
FRIDERICUS.

In hoc non fabulosum:
quod veritatem prodat.

Seu rara

in copia pietatis apparet,
seu familiaris in amicitia;
ea est hujus Proceris procera cogitatio:
non labi in labem,
ut sui sanciat lege,

suam Purpuram maculas non admittere.

Incumbit his moribus,
qui in DEUM & ECCLESIAM erigit amorem.
His luminibus captus FRIDERICUS.

Orbis amorem diceres,
nisi quod orbitatem ignorat,
qui duos oculos,
DEUM & ECCLESIAM,
gestat in fronte vitæ.

Exin patet illius perspicacitas,
vel acutior Tiberii acie,
qui in tenebris videret, sed brevi,
cum alter majori naturæ gratiâ,
non hebescente obrutu,
& in tenebris sæculi videat,
quæ vitet veneratio,

& ad

& ad lucem Solis Justitiæ exerceat lumina,
quæ probet religio.

Generosæ, & in pietate genuinæ indolis
facit periculum,

ut jam prolem se restetur eximiam,
qui sic ab humanæ cæcitatæ discrimine
se novit eximere.

Nacta talem animam magna pietas
sub jugum mittens,
quidquid serviat DEO, & ECCLESIAE.

Triumphantem diceres,
qui pugnans pro illis,
& vicit Mundum:

& sibi devinxit Cœlum.

a. Ovid. b. Suet.

COMMENTARIUM rerum abstrusorum.

Unde natus Lydius lapis, vide Ovidium 2. Metamorphos. ubi dicit Battum Pastorem in hunc lapidem
conversum, quod secretum sibi commissum prodidisset.

Suam Purpuram. Purpura dicitur ejus esse naturæ, ut maculas non accipiat.

Vel acutior Tiberii acie. Suetonius dicit in Tiberio, hunc etiam noctu & in tenebris vidisse,
cum primum oculi à somno patuissent.

Quæ probet religio. hoc est: in DEUM. Utraque Symbolum expressum.

Generosæ & in pietate genuinæ indolis. Alluditur ad Aquilam, quæ ut sciat, suos
pullos esse genuinos, statuit illos irretortis oculis in Solem. Si sustinent radios, genuini sunt.
Si oculis nictitant, tamquam degeneres abjicit in Solum.

Quæ vitet veneratio. Scilicet in Ecclesiam.



FRIDERICI pulcherrimum Effatum:
Fiat justitia, & pereat Mundus!

E 2

ELO.

ELOGIUM XX.

Cultum Justitiæ quis melius expresse- rit? Effatum quondam Romani Imperatoris ad suam virtutem Fridericus traxit.



Reginam Urbium Romam quâ dictis, quâ factis coronatam Orbis adoravit.
Cedro digna loquuta æternam meruit memoriam.
Incorruptam justitiam servatam harum vocum succo illevit affectus.
Sed plures admirati, quàm imitati, non pervenere ad hanc sublimitatem mentis; quia gradus illis virtus animosa non fecit.
Germana virtus semper æmula Romanæ, nè superiorem ferret, parem se gessit.
Ingentem sibi famam circumfudit FRIDERICUS, effusus in justitiæ quâ decus, quâ præsidium.
Dubitari non potest, hunc magna sapere, & servare, qui profundas voces, tam condiit dulci ore, quàm condidit in forti pectore.
Nè erraret, velum sibi detraxit Oculus Justitiæ, fortè quòd à recto moveri non possit, qui fixè gloriam intueretur.
Placet hic omni spoliatam pallio cernere justitiam.
Ceu melius obluçtaretur Mundo, nudam fecit.
Mavult Mundum perire, quàm non parere justitiæ.

Imma-

Immanis animus in alio, quàm in FRIDERICO hanc non sevisset frugem.
Nempe sapientem offendit, in hoc non minorem Biante: quòd parem Prienensi justitiæ sibi parcemiam comparârit.

Pauciora futura temporum, & morum monstra, si tales Hercules liceret monstrare.
Nè tamen dubites pulcherrima virtutum; tuam non perdes gratiæ causam, cum tibi FRIDERICI patrocinetur justitia.

a. Pers. b. vide Plin. c. adag.



COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

In Reginam Urbium. Despiciatur ad dictum Romani Cæsaris.
Cedro digna loquuta. Olim cum quis ob aliquod egregium facinus mereretur æternam memoriam, in Cedro sculpebant litteras, cum hoc lignum cariem non admittat.
Harum vocum succo. Sumptum ab arboris Cedri natura, cujus succo quæ sunt illita, non sentiunt cariem & corruptionem.
Velum sibi detraxit. Justitia aliquibus pingitur velatis oculis, ut nimirum sine acceptione personarum exerceatur. Oculus verò Justitiæ pro eo dicitur Judice, qui incorruptæ est Justitiæ Judex. Ald. Manut. in adag.
Quòd pacem Prienensi Justitiæ. Hæc illi convenit, qui in judicando & justitia plurimum excellit, à Biante Prienensi sumptum, cujus integritas in judicandis Causis abiit in proverbium.



FRIDERICI, LIBERALIS, & MUNIFICI,

ELOGIUM XXI.

Liberalitas FRIDERICI, quàm vera, quàm magna! Exemplum propè

propè sinè exemplo, cunctis, ut solet dies se ostendere, in communi hac luce se
profert.



Pertinet ad aviditatem gloriæ:
Inhiare virtutibus,
inexhaustæ terminos supergressæ,
cùm numquam cessat sitire honorem.
FRIDERICI MUNIFICENTIA
nullam sibi posuit metam,
quòd infinita.
Credo, agrum esse hæreditarium,
in quo thesaurus occulteretur.
Thesaurum laudis hic invênit **FRIDERICUS**,
quasi ille nemini promittatur,
nisi qui omnem lapidem moverit in colendo.
Numquam illi munus hujus virtutis illustrius,
quàm, dum manus auro micat.
Bis Principem natura fecit,
quà genere, quà liberalitate.
Utroque certans vicit encomia.
Augusta frons illi ut Principi,
Augusta tot coronis, ut Victori.
His ille coloribus
absolutissimam famæ speciem efformavit,
quem voces Apellis æmulum,
cui etiam nulla dies effluat sinè linea.
Ità nullum perdens diem,
æternas sibi memoriæ congerit divitias.
Hanc unam jacturam ratus,
non Vespasiani, sed suam,
si desit, cui profit.
Nemo umquam surdas aures expertus;
illico exaudit.
Documento Principibus:

Cum

Cum auri felicitate
donandam aurium facilitatem..

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Credo, agrum esse hæreditarium. Alludirur ad illum, qui filio reliquit agrum, in quo
erat thesaurus. Hoc est: Colendo dicebat agrum fructum laturum..
Vide aliter de proverbio: Omnem lapidem movere; apud Aldum Manut. in adag.



**FRIDERICI COMIS & BE-
NIGNI,**

ELOGIUM XXII.

*His decoribus Benignitatem conjunxit. Experientia insignis verum
Principem ostendit in Clementia.*



Stylo hodie tanti Heri
comitatem cogor comitari.
Meritò ancillantem habet reverentiam,
quæ dominantem gerit Majestatem.
Cunctis licèt non occurrat obvia,
trita tamen fuerit,
ad quam tam liber patet accessus.
Sed nec ideo teri tempore possit,
quæ tempus non terit,
dum otium humanitatis consummat.
Hanc spargit in Orbem.
Circum sibi construit ad populare spectaculum,
vel æmulatur æternitatem
qui gerit hanc figuram.

Nullus

Nullus hic fastus ventus :
 fausta semper spirat aura,
 quam Favonium fas est credere,
 cum favet, & fovet.
 Affatu comis (cæterarum gratiarum caput)
 benignitatem, affatim visus ornare;
 usus vocali suavitate
 stuporem audientium mutum reddit.
 Etiam humanissimi Titi titulum ambivisse,
 vel votum fuit, vel ornamentum,
 cum se amorem & delicias humani generis
 immortalis beneficio præstat.
 Rapiunt aures suavissimæ voces,
 &, ubi ad chordas alterius
 prosiliebant saltus,
 ad hujus nervos,
 quos ad humanitatem intendit,
 corda contrahuntur.
 Scilicet cuncti amoris sectantur officium
 in munere comitatis.



COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Populare spectaculum. Gratum populo. Circus pro Theatro.
 Vel æmulatur æternitatem. Quæ figura rotundæ.



FRIDERICI SUPREMI SILESIAE
CAPITANEI,

ELOGIUM XXIII.

Quam

Quam in cursu gloriæ immaduerit
 FRIDERICUS,
 mirus ille probat sudor,
 quem labores exantlati pro CÆSARE elicuerunt.
 Fluxit hic in terram universam,
 quam affluenter sui famam irrigans,
 pulchriores FRIDERICI reddidit flores,
 pro quorum odore
 majus, quam pro Platani umbra olim datum,
 vectigal LEOPOLDUS pendit,
 Supremum Silesiæ Gubernium.
 Dum CÆSAR eruit fundamenta Candidatorum
 in struendo delectu,
 hoc CAPUT invenit.
 Diceres indè novo in Silesia Capitolio prolusum,
 ubi serios religionis & pietatis triumphos
 spectares;
 siquidem sub quibus signis
 FRIDERICUS meret ad victoriam,
 sub illis triumphat ad gloriam.
 Putavit CÆSAR,
 neminem in specula supremi muneris
 tutius collocari,
 quam qui in conspectu profundarum rerum
 vertigine non laboraret.
 Scilicet solidus circumagi nequit FRIDERICUS.
 Accepit proinde Falces Silesiæ:
 quamvis in virga non regat populum,
 sed in robore.
 Unde corroborata fiducia,
 cum hujusmodi Fascibus
 virgam accepisse dicatur, quæ consolatur;
 ut credam, ad illum virgulam divinam
 transisse,

F

cum

cum in omnium vota commigrat.
 Dubium faciliusne concepta,
 an felicius adimpleta?
 Nunc pupilla CÆSARIS Silesia
 in hoc Orbis Oculo
 suam clariùs collegit lucem.
 Tuta circumspiciet sub tutela FRIDERICI,
 qui stando ad Clavum
 suâ rectitudine confirmabit,
 quàm bene humeris ejus sedeat imperium.
 Ita ex fide virtutis Regiæ
 sperat Regio,
 regimen spiraturum divinum,
 qui venit ab Austro.

a. Plin. b. Liv. c. Psalm. d. Psalm. 22. e. vid. adag.

•••••

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Pulchriores FRIDERICI. Flores pro decoribus usurpant Latini.
Majus, quàm pro Platani. Plin. lib. 12. c. 1. dicit, Romæ quãdam Platanum ad eò frondosam fuisse, ut, qui ad ejus umbram morari vellet, vectigal solyeret. Idem alii.
Dum CÆSAR eruit. Livius ait, Capitolium ita appellatum à Capite hominis, quod, dum fundamenta foderebantur, repertum fuit.
Ubi serios. In Capitolio maximè Dii colebantur, & agebantur triumphi.
Accepti proinde Fasces. Non ignota Fascium pro Magistratu significatio. Fasces autem sunt virgarum manipulus.
Quamvis in virga. Sumptum ex Psalmo 2. Reges eos in virga ferrea.
Sed in robore. Robur aliàs arbor: hinc sumitur pro animi constantiâ.
Virgam accepisse, quæ consolatur. Ex Psalm. 22. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.
Ut credam, ad illum. Virgula Divina, Proverbium est. quoties aliquid optamus, id citra humanam operam, quasi divinitus nobis significamus contingere. Ex Paulo Manutio in adagiis.
Quam bene humeris ejus. Imperium humeris alicujus bene sedere dicimus, quod illi probe convenit, & ab illo pro dignitate rectè sustinetur. Plin. in Panegyri. Cum abundè expertus esset, quàm bene humeris ejus sederet imperium.
Quod Divinum. Alluditur ad illud: Deus ab Austro veniet. Habacuc 3. Hic respicitur ad electionem CÆSARIS, factam pro CARDINALI ad hoc munus.



FRIDE-

**FRIDERICI, Silesiam ingredientis,
 ELOGIUM XXIV.**

Quiesce Silesia
 post defatigatos Superos votis,
 Tua illis curæ securitas.
 Quem tibi dederunt cum decore ad beneficium,
 reddunt cum fœnore ad gaudium.
 Quamquàm remotus non fuit,
 qui præsentis amore
 longâ sui morâ pensatâ
 præfuit, & profuit.
 Diem fas est appellare clarum,
 qui in adventu hujus SERENITATIS illuxit;
 quæ, ut Cœlum haberet suum,
 beatam regionem accepit,
 Frustra Silesiam, Fama, Silesiam.
 Nunc imperium FRIDERICI
 illam per oras omnes Orbis
 te coget perorare.
 Nè dubites,
 aptum dicendi locum invenies
 de Cathedra FRIDERICI,
 unde detones Magnitudinem PRINCIPIS
 ut documentum intelligant,
 Tenon detonare rumorem,
 nisi de sublimi.
 Hinc ominari fausta, res festa est;
 pro his se vades dederunt
 SAPIENTIA, PIETAS, JUSTITIA.
 Iccirco sortem in tuto collocasse non negarim,
 qui huic credidit summam imperii,
 bene tractanti habenas,
 quòd æqui studiosus est.

F 2

Sed

Sed & oris majestas,
tam Magnum PRINCEPEM prodit,
quàm bonum.

Texo hanc telam ex filis vultus.

Diceres,

hæc Parcas prodigâ donorum manu nevisse,
ut infuso in illum imperio
felicitatem sæculi agglomerarent.

A capite usque ad calcem
fila hæc sinè nodo.

Notabile est:

Numquam interrupta fuisse decora.

Sterne officia lætitiæ, Silesia,

in spem magnam erecta:

acclama diem!

respondebit ad votum.

Nempe mutus non est,

qui celebria de FRIDERICO,

tibi vel dicit, vel dicat.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Iccirco sortem. Sortem pro munere vel officio appellat Livius; sic id facere gravaretur, quod sum
sortis negotium non foret.

Hæc Parcas prodigâ manu. De Parcis Eruditos non laet fabula.

Fila hæc sinè nodo. Nodum Latini ponunt pro Dubio.

Nempe mutus non est. Mutus pro minus celebri; ut muta artes, quæ nullo sunt insignes
ingenio.



**VATICINIUM Boni Regiminis
desumptum ex gentilitio LEONE FRIDERICI**

ELO-

ELOGIUM XXV.

Largissimam messem virtutis explicant
coacervati hîc miraculorum manipuli.

Mirum non est,

edaci tempori nihil licuisse in HASSIAM

tam frugi famâ satiato;

nisi quod edidit in lucem meritum

sinè dentibus invidiæ,

quod nil mordendum reperisset.

Timuit nimirum infracta rodere,

nè abiret edentulum.

Cavit irritare Leonem,

cujus irrita fortitudo non foret,

quâ ad sublimia translatus

in cœleste Signum evasit,

sub quo augustus ferveret honor.

Certatur de hoc Leone.

Gallus suum cantat,

ceu primus diei nuncius,

quâ sol Franciæ in hoc Signo

maximè arsisset Ludovicum.

Quòd virtus germana foret,

Leoni fortitudo affinis

Germanum ostendit.

Leonem à Conrado accepisse putavère alii

Ludovicum,

faustè Barbatum dictum

ab intonsa barba,

fortè edocturum,

se pili non faciendum,

qui in comi vultu

longam venerationem compilasset;

quamvis ipse ita intonsus,

Leonem rasit,

cùm

cum penè impossibilia cæteris facinora expoliret.

Sed suum utriq; decus exsolvatur.

Gallus vigilantem Leonem laudet:

generosum Germanus.

Certius hic felicitatis vaticinium,

ex Avis,

quàm alii habuere ex avibus.

Majestas, clementia, vigilantia, generositas,

Leonem commendant.

Hæc in unum conspiravere FRIDERICUM,

ut Leonem agnosceres ex ungue.

In hanc arenam descendit,

ut cum illius ratione

numerofam computet virtutem,

fortiter luctui temporum oblueturam,

quò lætitiâ induat

vel securitas salutis,

vel honor applausus.

Vistis eò spectare LEOPOLDUS,

cum ad custodiam Silesiæ

adlegit hunc LEONEM,

ratus,

res optimè ab eo perspici,

qui die, noctuq;

apertos oculos circumferret.

Quis nollet jam vaticinari fortunam?

Decet fortunari vaticinium,

quod sub LEONE natum est.

a. Carolus Martellus Rex Francia.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Coacervati hic miraculorum manipuli. Miracula hic sumuntur pro rebus admiratione dignis.

Quâ ad sublimia translatus. Alluditur ad fabulam Leonis, qui in Cœlum à Jove fuit assumptus.

Certatur de hoc Leone. Desumptum ex Hæping. de Jure Insign. c. 6. § 10. membro 1. n. 787. ubi

ubi dicit, hunc Leonem pro Insigni datum Ludovico Barbaro à Carolo Martello Franciæ Rege. Alii volunt, eidem datum à Conrado I. Imperatore.

Leonem rasit. Proverbium est: *Leonem radit*; apud Rhodig. lib. 13. c. 8. dici solitum in eos, qui factu impossibilia tentant.

Ut cum illius ratione. Ratione computandi, & subducendi calculos.

Fortiter luctui. Luctus erat vestis apud Romanos, quam induebant, cum quid sinistri accidisset.

Cum ad Custodiam Silesiæ. Leo Symbolum Vigilantiæ; ideo antiquis usitatum, vel in pictura, vel in statua illum collocare ante fores.



VATICINIUM

ex gentilitiis CORNIBUS desumptum,

ELOGIUM XXVI.

Lituos auguratur Fama,

unde tanti decoris decantatur mysterium:

Sed simul pugnae dat signum,

unde tanti rumoris debelletur principium.

Rectè CORNUA dixeris,

quæ huic stemmati infixâ

immotum stuporem reddunt:

quod naturæ fuit munus,

ars donavit.

Dum vides hæc CORNUA,

capita virtutis edoceris.

Hujus abundans antiquitas HASSIÆ

præconium Cornu-copiæ promeruit,

quod fructibus, odorèq; excelsi animi repletum

gloriæ sacra vit

Regiâ sapientiâ excellens fortitudo,

dignitas

dignitas eminens, majestas perpetua.
 Erigit tibi proinde, Silesia,
CORNU salutis FRIDERICUS.
 Scilicet ad te defendendam
 haectenus sonuit excellentiam **PRINCIPIS,**
 nunc verò etiam pronuntiat vigilantiam **PASTORIS:**
 tunc videlicet,
 cum **Ovibus** suis in discordia temporum
 praecinit svavitatem regiminis.
Auribus, Oculisq; hauri, Silesia,
 in hunc pulverem perducta **CORNUA.**
 Si quis corpus tuum
 malignus infestet humor,
 pellet sudore à pelle
 pellaciam morborum.
 Nullam hïc inopiam gratiarum metuo;
 quia **CORNUA** argentea sunt.
 Unde & argenteum arguo saeculum,
 ut jam **Jovem** videaris habere,
 cui hoc **Vaticinii** dicatur trophaeum.

a. Petr. Val. b. Majol.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Lituos argenteos Fama. Lituus apud Veteres baculus inflexus, quem gerebant augures. Accipitur & vox eadem pro buccina obliqua, quæ signum dabatur ad pugnam. Referebant Lituus Cornuum speciem.
Præconium Cornu-copiae. Nota est de Cornu-copiae fabula.
Regiâ Sapientiâ. Hæc omnes virtutes Hieroglyphicae sunt Cornuum, ut dicit latè Hoeping. de Stemmata Hassiæ.
Cornu Salutis. Desumptum ex Cantico Zachariæ: *Benedictus.*
Scilicet ad te defendendam. Rhodiginus inquit, Cornua data à Natura Animantibus, ut defendant, & vim repellant.
Haectenus sonuerunt. Mira sunt Hieroglyphica, quæ illis attribuit Hoeping.
Etiam prænuntiant vigilantiam Pastoris. Afferit Majolus Colloq. 7. dicitur Canicular. Cornua prælata in ornamentum esse, ac munimen, ut ovibus suis adversantes, etiam, si res ferat, percutiant.
Ornamentum fecit hïc candor. Argentea sunt hæc cornua, & albi coloris.
Album colorem. Symbolum innocentia appellat Hoeping. ibidem colorem album, qui maxime Principibus conveniat.

Auribus,

Auribus, Oculisq; Metaphora est, pro audire & videre.
In hunc pulverem. Pulvis accipitur pro loco certaminis. Intellige hïc Silesiam. Pulvis etiam significat artem, studium, ministerium. Usus sum hoc verbo, ut leporem facerem ex qualitate pulveris Unicornis, qui per sudorem expellit malignantes humores.
Ut jam Jovem. Secundum seculum argenteum fuit, cui imperabat Jupiter; & huic antiquitus dumtaxat erigebantur, & dicabantur trophæa. Rhodiginus.



VATICINIUM
 ex **TRIFOLIO** gentilitio desumptum,
ELOGIUM XXVII.



Vix parem Naso suboleverit Metamorphosim
TRIFOLIUM, exiguae herbæ
 in magnam Arborem transeuntis.
 Lata in illa latet virtus.
 Non siccum hïc exprimes succum,
 non amarum, sed amorem.
TRIFOLIUM invenit **HASSIA**,
 ut fortunatam sciret.
 Plantatum in hoc Stemmata
 nequit arescere;
 quia Cælum habet, unde irriget.
 Victricem agnoscit Orbis,
 quòd in certamine magni nominis
 herbam illi porrexit.
 Exinde vernantem ibi virtutem lege;
 bene olet.

G

Nempe

Nempe quæ flagravit amore gloriæ,
fragrat odore miraculi,
vel ideo gratiore,
quòd Trifolium hoc
suaviùs olet è longinquo.

Ad amœnum te invito, Silesia, pratum,
ubi animum recrees:

quamvis vel invita traheris;
quippe vis ejusmodi herbæ
rapit in amorem sui.

Ex vaticinio meo
herbam salutarem

ad tuam transtulisti terram;

scilicet venenata odit, & repellit.

Iccirco perennem viriditatem regiminis

auguror,

ubi nullum vitii adserpit virus,

quod inficiat

TRIFOLIUM hoc:

PRINCIPEM, CARDINALEM, EPISCOPUM.

Audi vaticinii audaciam:

Ex merito

Folium ejus non defluet:

ex consilio

omnia prosperabit.



COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

In magnam Arborem. Arbor hæc, ut aliàs pro Stemmate.

Trifolium invenit. Putatur quis fortunam sibi familiarem facere, cum hanc herbam invenit.

Quam Cœlum habet. In Scuto Caruleo Hassiæ Stemma depingitur. Hœping.

Herbam illi porrexit. Et alibi fuit usus hoc adagio, quo significatur, victoriam extitisse, cum quis ab æmulo herbam accepit.

Suaviùs olet. Per Rhodiginum florum odores è longinquo olent suaviùs. Hic è longinquo acci-
pe vel ab antiquitate: vel quia per totum Orbem odor Domus Hassiæ sit diffusus.

Quippe vis ejusmodi herbæ. Putant quidam, herbis eam virtutem inesse, ut illis amor
conciliari possit: quamvis hoc reprobet Majolus in Colloq. Canicular. Sed ad rem nostram ap-
primè convenit.

Scilicet

Scilicet venenata odit. Hœping. tractans de Stemmate Hassiæ asserit, Trifolium illius esse na-
turæ, ut Animantibus venenatis reluctetur. Curiosa est hujus herbæ applicatio ad virtutes Prin-
cipum, ut fugiant bilingves, & assentatores.



VATICINIUM
ex SCUTO CÆRULEO,
ELOGIUM XXIIII.



Celari non potest,

Stemma è Cœlo delapsum.

Hoc indefessa traxit virtus,

Nempe optimè sibi laboravit cœlum,

quæ in toga, sagoque,

ut cœlum, otii impatiens fuit.

Si hoc Cœlum est,

sua meritò ostentat sidera,

quæ fortunam gloriæ influxère.

Ità sub illis nato FRIDERICO

cumulum felicitatis coëgerunt.

Non ficta pro ingenio,

sed facta ex studio

mutuamur ab hoc ASTRO.

Quamvis credam, polare esse,

ad quod magnus Orbis stupor

convertitur.

Diceres, ad hoc Scutum se recepisse Cœlum,

ut protegeretur.

G 2

Nimirum

Nimirum Cœlum protegit FRIDERICUS,
qui pulchrum pro DEO, & ECCLESIA
bellum adornat.

Scutum planè sacrum,
quia cœleste;
quod *Alexandri Hassiaci*
ex templo Palladis,
hoc est: Virtutis, detraixerunt.
Fausa in hoc Cœlo signa
magna prænantiant.
Quidquid in illo apparet,
ex eo ad majestatem nominis affulgent auspicia;
tuta è Cœlo promuntur vaticinia.

Hic aspectus
tam SERENITATEM promittit,
quàm mittit,
tempestates fugantem,
omnium temporum injurias,
nisi quòd cœlum hoc depluet beneficia.
Magnum in hoc Cœlo Luminare,
FRIDERICUS,
diebus nostris præest,
ut sæculum illustret.

COMMENTARIUM rerum abstrusiorum.

Stemma è Cœlo delapsum. Proverbialiter dictum; quod viris magnæ virtutis convenit.
Ut cœlum, otii impatiens fuit. Colorem cæruleum inquit Hoeping. esse typum non solum Sagatæ, sed etiam Togatæ virtutis; quâ Princeps si pollet, cœlestis est, cum, ut Cœlum, otium patitur non possit.

Sua meritò ostentat Sidera. Sidera intelligo pro Heroibus.

Cumulum felicitatis. Alluditur ad illud: *Astra insuunt, non cogunt.* Sed hic coegerunt accipitur pro unloerunt.

Scutum planè sacrum. Scutum Alexandri Magni sacrum dictum; quòd illud ex delubro Palladis accepisset, eòq; semper prælia faustè iniisset.

Fausa in hoc Cœlo signa. Signa pro rebus, quæ in Stemmate FRIDERICI conspiciuntur.

Hic Aspectus. Refertur hoc potest tam ad personam CARDINALIS, quàm ad rerum corpora, quæ sunt in Stemmate.

Nota hîc 1.

Scutum Stemmatîs Hassiacæ est coloris cærulei, unde materies hîc sumpta, quæ Cœlo colluderet.

Nota

Nota 2. ex Hoeping.

Corpus Stemmatîs Landtgravorum Hassiæ; de quo ille sic:

Leonem coloribus variegatum **cæruleæ Parmulæ** inscriptum, galeaq; **argenteis cornibus** utrimq; **tribus foliis**, numero distinctis, dependentibus exornatum; Thuringiæ & Hassiæ Landtgraviatûs Insigne esse; in omnium est oribus, & oculis. Ita ille.



ELOGIUM XXIX.

Artifex sibi ipsi Fama Hetrusco ingeniosior ad unguem manu laudum elaboravit imaginem.

Agnosce hanc

de tuo, FRIDERICE, depictam imaginem.

Seu manus pingit, seu pangit lingua,

Specula, Silesia, Iconem!

in tanta luce spectabilis est.

Nullus pulchritudinem depravavit fucus,
quòd mendica non licuit admiscere mendacia,

ubi pura requirebat dives fama præconia.

Cunctis arridentem læta fecerunt lineamenta
facinorum.

Proinde gratias speret,

qui petendas duxerit ab hac rerum facie
principatum adeptæ amoris;

ut jam scias,

non magis Capitem Principem esse,
quàm cordium FRIDERICUM.

Ita sibi emunt

animorum annorumq; imperium,

qui

qui aureas ad manus habent virtutes.
Hic tuam aspicias in aliena imaginem,
SERENISSIME FRIDERICE,

Da veniam,
si **GERMANUM** dicam **NARCISSUM**,
ceu in florem candidæ gloriæ
mutatum sinè fabula.

Hinc meliorem ortum nactus,
cùm Tua non deflorescent decora,
viridi semper famâ vernantia.

Itaq; Tua hæc est imago.
TIBI reddo, quæ Tua sunt:
Laudem, gloriam, reverentiam.

Hæc alacriùs, quàm perfectiùs, depinxi.

Eâ nimirum usus fortunâ,
quòd sub **SERENITATE TUA**
etiam clarent obscura.

Adde *umbram TUAM* huic imagini:
& vividiùs exprimes *Lumen gratiæ.*

